DE

NEPHRITIDE EIUSQUE IN SUPPURATIONEM EXITU.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO - PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE II. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXI.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENDET

AUCTOR
FRANCISCUS HEIMING
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

JOS. CASSEL, MED. ET CHIR. DR.
JOH. GERLACH, MED. ET CHIR. CAND.
JOS. NAP. LIESE, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FERDINAND NIETACK.

FRATRI OPTIMO, DILECTISSIMO

CASP. ANT. HEIMING.

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. D, D.

AUCTOR.

Renes haud raro quidem inflammatione corripiuntur; rarius vero contingit, ut eorum inflammatio recte cognoscatur; tum quia alii huic haud dissimiles morbi eadem fere symptomata praebent, quibuscum igitur facillime confundi potest; tum quia tam occulte incedit, ut functio hujus visceris nullo modo turbata videatur. Quam ob rem non raro accidit, ut renes suppurati inveniantur, quin inflammatio suppurationi praegressa agnota fuerit.

Rarius ren uterque, frequentius dextro sinister morbo afficitur, quare et sinister saepius dextro inflammatur. Quod Haller eo probat, quod e rene dextro sanguis ob breviorem arteriae renalis dextrae decursum situmque liberiorem, multo facilius quam e sinistro refluat, necesse est.

Alii aliter judicant, inter quos Hoffmann praecipue: quum ren dexter ab hepate cautius sinistro obtegitur, ergo et irritationi externae minus expositus est, quo praesidio autem ren sinister caret et qui insuper parte descendente intestini coli non raro premitur atque irritatur; facilius fieri solet, ut ren sinister saepius quam dexter inflammetur.

Rougnon [1]) hoc argumentum affert: Cum vena

---

1) Patholog. Semiot. II. Thl. herausgeg. von Kühn. Leipzig 1793.

renalis sinistra sit longior dextra, nec raro vena spermatica sinistra in ipsam infundatur, qua infusa majorem sanguinis copiam ducat, qua facillime extendi, debilitari et opilari possit; morbosa renis sinistri affectio ideo non raro efficitur atque inflammatio provocatur.

Quorum virorum observationes casus permulti, a Voigtel [1]) et Koenig [2]) collati, in quibus ren sinister saepius quam dexter morbo laborans inveniebatur, affirmant.

Attamen Desault [3]) his opinionibus non consentit, se potius semper observasse dicit: renem utrumque, inflammatione exhibita, inflammatum fuisse; et fac, renem sinistrum primum inflammatione corripi, paulo post tamen inflammationem ad dextrum propagari. —

Divisio.

Inflammationum aliarum adinstar duae nephritidis species distinguendae sunt, nephritis scilicet acuta et nephritis chronica.

Secundum characterem, vel diversas morbosas diatheses et morbos ipsos, qui nephritidem adducunt, aut vix ortae favent, plures inducere possumus divisiones; calculi nimirum renales vel arenosa tantum materia, vel scrophulosis, arthritis, rheumatismus, catarrhus etc. vel ad hos morbos diatheses

---

1) Handb. der patholog. Anat. III. Bd. Halle 1805.
2) Krankh. der Nieren. Leipzig 1826.
3) Auserlesene chirurg. Wahrnehmungen. I. Bd. S. 71.

tantum, in renem agunt, vel ad inflammationem jam ortam accedunt.

Quam ob rem nephritidem calculosam, scrophulosam, arthriticam, rheumaticam, catarrhalem etc. agnoscere possumus. Omnes hi morbi inducti vel diatheses morbosae fere semper nephritidem chronicam, calculis renalibus, rheumatismo et catarrho, qui et nephritidem acutam comitari possunt, interdum exceptis, producunt; quare de renis inflammatione chronica calculosa, scrophulosa, arthritica, rheumatica, catarrhali non raro sermo est.

Pet. Frank has inflammationis species, inflammationes renis secundarias jure appellat [1]).

Interea varias hujus visceris partes inflammatio invadere potest, mox superficiem, mox vero parenchyma ipsum, et inde secundum Hoffmann nephritidem superficialem, seu erysipelatodem et profundam, seu phlegmonodem diagnoscimus.

Symptomata nephritidis.

Nephritis acuta.

Symptomata, quae in nephritide occurrunt, semper cautissime colligenda atque dijudicanda esse, neminem fugit, quia aliis cum symptomatibus similium morborum facillime confundi possunt.

Quae autem symptomata nephritidem tanquam pathognomonica comitantur, fere sunt: dolor fixus, continuus, profundus, ardens in parte suprema et postica abdominis, in regione sic dicta lumbali, ante duas postremas ex costis spuriis ad trium circiter

---

1) De curand. homin. morb. lib. II. Manhemii 1792.

digitorum a spina dorsi distantiam, qui magis sursum, rene sinistro, magis deorsum, rene dextro inflammato sentitur. Mox autem dolor, ab initio magis obtusus premensque, transit in pungentem, acutum, lancinantem et pulsantem, qui in quavis corporis concussione, inspirando, sternutando, tussiendo, vomendo, nec minus lecti calore atque pressione ad regionem lumbalem augetur. Postremo dictum observatur, si ex obliquo juxta columnam vertebralem manu compressa pressio contraria ad alteram manum per obtegumenta abdominis e transversa directione ad ipsam imprimentem, infertur, quo temporis momento simul et calor valde adauctus in regione renis inflammati sentitur [1]).

Dolor non raro sursum, ad colon, hepar, ventriculum, lienem, diaphragma adeoque pectus humerosque tendit; deorsum propagatur ad pelvim et regionem inguinalem, ex qua ad testiculos et femora descendit, quo in decursu ureteres, vesicam urinariam occupat, testiculosque ad spasmodicas retractiones cogit, et femora obtundit, ita ut aegrotus, quin magnum dolorem sentiat, ipsa movere non possit.

Regio pubis non raro invenitur valde sensibilis, nec minus regio lumbalis, quae simul intumescit.

Si autem unus tantum ren laborat; unus tantum testiculus annulo abdominali appropinquatur, unumque femur torpet.

Decubitus in latere affecto, uno rene inflammatione correpto, dolorem adauget; renibus ambobus

---

1) Koenig über die Krankh. der Nieren. Leipz. 1826.

inflammatis, decubitu dorsali dolor quidem remanet, sed in eo tamen aegrotus maxime doloris expers est [1]).

Attamen Hufeland, decubitu dorsali dolorem semper augeri compertum habet [2]). Antrorsum inclinatus in statu sedente maximum levamen sentit aegrotus.

Quae ad symptomata accedunt illa, quae urina offert.

Secretio urinae tam quantitate, quam qualitate ab ea, quae in statu normali se- et excernitur multo discedit. Urina raro et parca secreta, colorem prae se fert profunde rubrum, flammeum, fuscum, nec raro sanguine mixta emittitur. Talem casum observavit van Swieten [3]), qui aegrotum curandum habuit, qui tota vita validissimis equitationibus usus fuit, et sanguinis copiam minxit, absque ullo dolore.

Haec urina, nephritidem comitans, plantarum pigmenta caerulea profunda tingit rubedine; alcalibus admixta effervet, praecipitatumque conformat.

Cum tali urinae minor seri et aquae copia immixta sit, eo ipso valde satiatus appareat, necesse est. Sub maximo statu inflammatorio urina pallida aquosa et tenuis est [4]), simulque dysuria oritur, quae saepe in totalem secretionis urinalis abolitionem convertitur [5]).

---

1) Koenig a. a. O. S. 94.

2) Syst. d. prakt. Heilk. II. Bd. I. Abth. Jena und Leipzig 1802.

3) Comment. in Boerhaave aphorism. Tom. III.

4) Troja üb. d. Krankh. d. Nieren. A. d. Ital. Lpz. 1788.

5) Petr. Frank de curand. hom. morb. libr. II.

Quo tempore mox sapor alienatus, materia mucosa adaucta intus oris cavitatem secernitur, mox frequentes ructus, nausea, vomituritio vomitusque, anxietas, dolores colici, ischuria, alvus obstructa vel et tenesmus atque intumescentia abdominis nascuntur. Praeterea cruris dolores spasmodici, ita ut attactu quovis illud vehementer doleat motioque ejus omnino impedita sit, aegrotantem invadunt; pedis oedema, extremitates frigidae, paralysis cruris completa, convulsiones et syncopae non raro accedunt. Sed horum symptomatum plura saepe desunt, quod a consensu aut a partibus dependet, ad quas inflammatio transit. Quo magis nephritis ad ureteres et ad pelvim transportatur, eo citius difficultates emittendae urinae orientur, eo vehementius et corporis pars inferior patietur, eo minus simul et pressio externa decubitusque in uno latere dolores augebit.

Nephritidem acutam febris semper comitatur, quae vel eodem tempore, quo dolores ceteraque jam enarrata inflammationis symptomata, hominem arripiunt, oritur, vel, inflammatione jam praegressa, demum apparet, vel et symptomata cetera antecedit; si autem totum organismum simul et praecipue renes tenet, et cum ipsa alia quaedam causa occasionalis localiter tantum renes aut ipsorum regionem invadit, febris, inflammatione jamjam praesente, ex ipsius in totum organismum actione exoritur [1]). Haec febris modo magna vehementia, modo mitiori charactere saevire solet. Simili modo et pulsus ratione

1) Koenig a. a. O.

ad doloris spasmique qualitatem valde diversus est; quo vehementiores hi, eo magis ille est compressus, inaequalis et contractus.

Nephritis chronica.

Inflammatio renis saepius decursum chronicum quam acutum absolvit; causae enim, in eum irritationem continuam exercentes, valde multiplices sunt.

Rem sic se habere, multorum observationes et inter has casus a Voigtel et Koenig [1]) adducti, ubi ren unus vel et ambo suppurati inveniebantur, nullis symptomatibus, nullis morbi causis, quae suppurationem antecessissent, deprehensis, satis demonstrant.

Nephritis chronica fere omnia, quae acuta, praebet symptomata, et eo tantum inter se differunt, quod nephritidis chronicae symptomata saepissime multo mitius incedunt, quare et perfacile fieri potest, ut multa in hac symptomata desint, quae haud raro in nephritide acuta vehementer investigant aegrotum.

Inflammatio renis chronica pro causis diversis, diversum characterem ostendit. Quam ob rem inflammationem chronicam scrophulosam, catarrhalem, arthriticam et sic porro, uti jam dictum, agnoscimus. Secundum characterem varia quoque symptomata cum ceteris inflammationem comitantibus, sociantur; in nephritide scrophulosa: diathesis scrophulosa vel et scrophulosis ipsa, cujus symptomata sat nota sunt, et quorum enarratio locum aptum hic non occupa-

---

1) a. a. O.

ret; — in catarrhali praeprimis se-et excretio mucosa adaucta e viis uriniferis; — in arthritica status gastricus et paroxysmi arthritidis et sic porro.

Quamquam renis inflammatio multis se manifestat symptomatibus; tamen haud raro in diagnosi sistenda dubii haeserunt medici et his morbis falsi sunt.

a) Psoitide i. e. inflammatione musculi psoae.

Inter nostrum et hunc morbum haec vero differentia intercedit:

Psoitide correpti pedem lateris affecti, neque extra et retro extendere, neque elevare et rotare, ne corpus quidem flectere valent. Et fac etiam, ut motiones hae exerceri possint, tamen magno tantum cum dolore perficiuntur.

Etsi dolorem in utroque morbo similem esse concedo, sede tamen est diversus; in psoitide inferior urget, quae et urina flammea rubeaque, doloribus ad ureteres descendentibus et symptomatibus ad testem caret.

b) Lumbagine inflammatoria. Hic morbus motum corporis et imprimis erectionem trunci vehementissimis doloribus impedit, qui haud usque ad inguinem testemque decurrunt, sed fixi regionem lumbalem cruciant. Paralysis cruris et ischuria vel dysuria desunt, aut si una illarum adest, tamen minimi momenti. Praeterea urinae symptomata diagnosin adjuvant.

Bagliv [1]) utriusque morbi differentiam hoc modo sistit: pete ab aegro, an dum in terram incurvatur et exinde erigitur, cum difficultate erigatur, adeo, ut per medium scindi videatur; si haec adsint, pro certo habeto, dolorem illum non esse nephriticum, sed rheumaticum.

c) Doloribus calculo dependentibus. Hi vero non tam continue perseverant, uti in renum inflammatione, et praesertim quibusdam concussionibus corporis, uti equitando, vehendo in viis arduis provocantur et adaugentur. In quieto corporis statu et ventriculo vacuo remittuntur, febrisque non raro abest. Urina omnino alia quaedam symptomata affert; non rubore, sed sedimento, nunc crystallisato, nunc informi insignis. Sed inflammatio calculos renales et invicem calculi inflammationem saepe procreant, quare malum utrumque simul existere potest. Tum symptomata junctim sumta omne dubium amovent. Si vero decernendum est, utrum sint calculi, an inflammatio chronica, medicus saepe angustiis premitur, e quibus vix periodicis doloribus calculorum, quolibet motu adauctis, educetur.

d) Inflammatione adjacentium organorum, ut hepatis, lienis, tractus intestinorum. Qui morbi vero loco dolente et absentibus signis, quae urina, testis et crus in nephritide afferunt, differuntur. Nemo dolorem colicum magis vagantem pro nephritide habebit, cui inflammationis renum symptomata junctim sumta in mentem venerunt.

---

1) Vid. Koenig. l. c.

Causae nephritidis.

Nephritidis causas et acutae et chronicae in uno tantum articulo exponere mihi liceat, quamvis aliae earum praeprimis acutae, aliae chronicae faveant. Praeterea non raro chronicam ex acuta originem ducere, si haec negligitur, aut perverse curatur, observatum est.

Inflammati renis causam in quovis stimulo mechanico, vel alio in eum agente quaerimus. Mox in ipso corpore, atque tunc vel ipsa in parte, quae aegrotat, vel alibi generari, porro tum lege consensus, tum partium mechanismi in hoc viscus operari, mox extrinsecus inferri; denique ambobus his modis potentias renibus nocentes oriri, observatum est.

Inter externas, quae renes offendere possunt res, omnem impetum, modo cum vulnere conjunctum, modo sine illo numeres. Nec minus difficiliores corporis agitationes choreis violentis, lapsu, portando, currendo, saltando, equitando hanc inflammationem accendunt.

Idem valent omnia remedia tum stimulantia, tum diuretica, quae renibus excernuntur, inprimis cantharides, gummi, balsami, sales, acida.

Carie etiam vertebrarum, vermibus calculisque renalibus, copiosiore urina pelvi renali aut ureteribus diutius retenta, tumoribus abscessibusque hunc locum prementibus, inflammatione adjacentium organorum ulterius se propagante, non raro hic processus inducitur. Denique variis metastasibus renes saepe infestantur, praeprimis arthritidis et rheuma-

tismi; menstruationis, haemorrhoidum et exanthematum suppressorum. Idem contingit in febribus nonnullis, praecipue ubi cutis officium suum praestare negat.

Propensiores in hunc morbum sunt homines aetate provectiores, quibus semper organa ventralia magis turgent. Quam dispositionem abusus spirituosorum, victus lautior sub exercitii laborisque defectu adaugent.

Bougnon [1]) dispositionem haereditariam agnoscit.

Exitus nephritidis in suppurationem.

Inflammatio renis acuta die septimo, nono, undecimo et nonnunquam decimo quarto subit crisin symptomatibus praecipue criticae urinae, quae prius rubra aut pallida et aquosa, nunc turbida, cum sedimento latericio apparet, majorique quantitate secernitur; simul febris, dolores ceteraque symptomata paullatim evanescunt. Decursus inflammationis chronicae ut plurimum in menses et annos protrahitur; quae res a causis efficientibus continuis seu aliorum morborum complicatione dependet.

Si inflammatio acuta haud crisi absciinditur completa, saepissime in ulcerationem delabitur, nec minus et chronica hunc finem tristem inchoat, ubi non raro ex producto, scilicet pure, inflammatio antegressa primum concluditur. Inprimis scrophulosa nephritis cursum eo tendit. — Alia via sine praegressa in-

---

1) Loco citat.

flammatione pus oriri in renibus posse, contendere nequimus. Attamen hujus visceris ulcera e causis externis e. g. verberibus in dorsum effici legimus [1]. Sed verisimile in hoc casu inflammatio acuta vel et chronica antecesserat, quae ob brevem vel occultum decursum observationi se subduxerat. —

Eodem modo ut plurimum sub symptomatibus nephritidis chronicae, renum tubercula in suppurationem transire solent. Hanc inflammationem, qua tubercula suppurari solent incipere, Howship chronicam scrophulosam appellat [2]. Casum hujusmodi Würzeburgi in clinico medico duce Schoenlein vidi:

Mulier quaedam sexaginta annorum, habitu scrophuloso et cachectico, ex longo tempore de doloribus obtusis in regione lumbali et difficultatibus in emittenda urina conquesta erat. Aegra, quae non prius in medicina morbo remedium quaesierat, quam medicorum omnis ars in ipsa sananda frustra laboraret, in nosocomium recepta paucis diebus morti succubuit. Instituta exinde cadaveris sectione ren sinister omnino fere suppuratus, in dextro dura et paene omninove suppurata tubercula inveniebantur.

Plerumque renum suppuratio abscessuum forma incedit, qui membrana per hunc processum crassiore induti sunt.

---

1) Carter im Repertor. chirurg. et med. Abhandl. für praktische Aerzte. Leipzig 1798. B. III.

2) Howship (John) A practical treatise of the most important complaints that affect the secretion and excretion of the urine. London 1823.

Koenig [1]) et aliam puris excreti indicat formam, ubi renes, quasi agaricus, sine abscessu pus continent, eodem fere modo, quo nonnunquam in pulmonibus, inflammatione jamjam vexatis, observatur, ubi pus parenchymati infusum invenitur.

Abscessus nunc unus, nunc duo et plures adsunt, nunc pure, nunc ichore repleti.

Primo plerumque partem renum verrucosam consumunt, in progressu saepe totam eorum substantiam. In sectione cadaveris stupens anatomus pro rene reperit capsulam crassiorem, multum puris continentem, cum forte in vivo vix urinae secretio impedita fuisset, aut dolores vehementiores vel alia signa tantum hujus organi malum minime apparuissent [2]).

Oberteuffer [3]) utrumque renem devastatum invenit; dexter erat sesqui major, quam in statu normali, duritie lapidis; pelvis ejus pure plena et tubuli Belliniani aboliti; a sinistro ejusque uretere ne particula quidem reperiebatur; cavum abdominis pure scaturiebat.

Schmidtmann [4]) renem dextrum alicujus mulieris, sine ullo morbi renum symptomate praegresso

---

1) Loc. citat.

2) Voigtel Handb. der patholog. Anat. Bd. III. S. 183.

3) In Loders Journal für Chirurg. Bd. III.

4) In Hufeland's Journ. der praktischen Heilkunde. Bd. VII. St. IV.

simul cum uretere pure tam consumtum fuisse refert, ut ne reliquiae quidem remanserint.

De ipsis ejus arteriis venisque renalibus vix tantum videbatur residuum, quantum ad dijudicandum opus erat, hic olim permagnos ramos exstitisse. Ejusmodi casus plures in fastis medicis enumerantur. Si vero inflammatio praesertim acuta ad suppurationem progreditur, hunc exitum his signis cognoscimus.

Postquam inflammationis symptomata usque ad septimum vel imo usque ad decimum quartum diem sine ullis criticis excretionibus perdurarunt, successive minuuntur, febris doloresque moderantur, ex intensivis pungentibusque in obtusos mutantur; aegrotus pressionem, tensionem, diu noctuque pulsationem in parte affecta accusat. Haec omnia accrescunt, si renes magis pendentes redduntur, quod fit, si in ventre jacet patiens. Dolores, dum per aliquot dies remiserant, denuo, Desault [1]) affirmante, invalescunt, tensionem tractionemque percipit aegrotans, ipse dolor in inguine parteque lumborum anteriori prius obtusus, nunc pungens sentitur. Febris inflammatoria continua in remittentem, minus acerbam, irregularem illabitur; urina prius flammea fit pallidior, quin semper facilius emittatur. Hippocrates in renum suppuratione stranguriam vidit. „Renibus suppuratis urinae stillicidium supervenit [2]).“

1) Journal de chirurg. Bd. I. Paris 1791.

2) Aphor. 58. Sect. V.

Ad hoc tempus urinae mox major puris copia, si abscessus in pelvim renalem proruperat, mox minor, si modo per abscessus capsulam persudaverat, admixta est. In hoc casu urinae sedimentum subjacet parvum, pulposum, omnimodo distinctum; in illo copiosius, magis diffusum, saepe sanguine tinctum, malumque odorem spirans, et nonnunquam, teste Hippocrate [1]), carunculae parvae aut veluti pili una exeunt.

Sed in hac re aestimanda attente videamus, ne puriformi humore fallamur, qui durante inflammatione a membranis mucosis, quae vias uriniferas investiunt, uti in vesicae, prostatae et urethrae inflammatione, et hic per consensum copiosius excernitur, et verae lymphae coagulabilis indolem gerit. Qui nominata perpendit, et praeterea chemicas instituit tentationes, errorem evitabit.

Etiamsi vero pus urinae inesse extra dubium positum est, idcirco haud semper, licet symptomata praegressa accuratissime examines, ejus fontem distincte indicare valebis, cum pus ipsum acrius, ex rene in vesicam destillans, hanc ipsam irritare, ad spasmodicas contractiones invitare, morbique hic loci primariam sedem mentiri, — aut, quod observatione constat, in solidiorem massam coire ac pro calculo cystide incluso imponere possit [2]).

---

1) Aphor. 76. Sect. IV.

2) Pet. Frank de curand. hom. morb. loc. citat.

Abscessus in renibus formatus diversam sibi aperit viam et quidem:

A. in pelvim renalem, usitatissimum exitum. —

Magna vis puris simul cum urina prius retenta ejicitur, non raro et carunculae renales. Quo in casu post obitum pro renibus, omnino absorptis, capsula membranosa, ita contracta, ut vix prioris organi locum indicet, sub oculos venit. Ejusmodi exempla jam in antecedentibus allata sunt.

B. Abscessus renalis non aperitur, semper volumine crescens et acredine puris totum renum parenchyma corrodens, ita, ut in cadavere pro renibus cystidem pure tumentem invenias, quin guttulam puris in urina prius observasses.

Aegroti tum febre, ob phthisin renalem, hectica, citius aut tardius flebiliter consumuntur.

C. Abscessus in regione lumbali sibi viam extrorsum parat. Quod exspectandum est, si hae partes tument, in dies molliores fiunt et denique fluctuatio sentitur. Nonnunquam tota lumborum regio intumescit. Hippocrates ait [1]): „Quibus nephriticis existentibus cum ceteris suppurationem indicant praesagientibus signis, dolores circa musculos spinales fiunt et quidem ad loca exteriora abscessum exspecta futurum extrorsum; si vero dolores fiunt magis ad interna loca etiam abscessum magis introrsum fore exspecta."

---

1) Aphor. 36. Sect. VII.

Hic exitus tum praecipue contingit, si renes cum lumbis concreverant, et suppuratio magis in parte renum posteriori progreditur. Abscessus contentum vel sponte vel arte effundit, et ubi calculi renales adsunt, simul cum urina purulenta evacuantur. Interdum plures ad renem suppurantem viae ducunt.

D. Si renes non concreti sunt cum partibus vicinis et pus non in pelvim renalem aut intus prosilit, tum in telam cellulosam musculorum lumbalium profunditur, descendit simul cum his muslis ad inguinem usque et hic in lucem venit; vel in lumborum musculos et psoam profusum conspicitur, vel etiam cum ureteribus pelvim inferiorem assequitur, ibique in perinaeo se manifestat.

Casum ab Howship [1]) observatum, quo pus extra peritonaeum ad regionem usque inguinalem descenderat, adducit Koenig [2]).

E. Abscessus, si adhaesiones adsunt, tam suum contentum in saccum peritonaei effundere, quam in organa adjacentia penetrare potest; in illo casu ascites purulentus se efformabit, in hoc colon aut lien aut hepar imo pulmones pus excipiunt. Si intestinum colon adit, simul cum alvo pus cruentum, urina et fortasse praesentes calculi

---

1) Loc. citat.

2) A. a. O. S. 126 und 127.

renales deponuntur. Cujusmodi exemplum insigne, a Wyss [1]) descriptum, repetere mihi concedatur.

Vir quidam per longum temporis spatium renibus laborabat; diarrhoea urinaque purulenta incedebant. Quo mortuo, quum obductio institueretur sectioque ventralis transversa more solito ad lumbos prolongaretur, subito permultum puris foetidi emanat e sacco ad minimum tres libras continente, qui magnam hujus lateris partem adimplebat. Musculi adjacentes ichore et vertebrae carie inesae reperiebantur. Renis sinistri membranae modo erant superstites, quae extensae nigre tinctae absque uretere, et dissolutae puri innatabant. In colo duo foramina digiti magnitudine, quae pus transiverat, inotescebant.

F. Pus nonnunquam plures sibi vias aperit, cujus rei mentionem fecit Pet. Frank [2]), qui vidit, pus ejusdem abscessus ad exteriora prorupisse et intestinum colon perforasse, ita ut urina purulenta cum flatibus et excrementis non modo per anum sed extrorsum quoque ad lumbos et ilea expelleretur.

Alium a Meckel [3]) observatum casum, ubi pus per diaphragma in pulmones viam sibi fecerat, magni ejus momenti causa adducam.

---

1) Museum der Heilkunde. Bd. 1.

2) Loc. citat. p. 297.

3) Vid. Othmar. Heer dissert. de ren. morb. Halle 1790.

Vir aliquis, qui ab equo in via ardua ad latus sinistrum deciderat, ex eo vehementes dolores in regione concussa fixos, ibique post aliquot dies ponderis sensum percepit. Licet paulo post tussi et sputo multo vexaretur, nihilominus viribus paene infractis duodecim annos negotiis suis equo pedeque indulgebat; tum vero febri hectica et doloribus in latere sinistro cruciantibus invaditur et pus, expectoratione aucta pulmonum phthisin purulentam demonstrat.

Mors celeriter mox ejus doloribus finem imposuit.

E cadaveris sectione haec elucebant: in renis sinistri loco enormis saccus, magnam albescentis hydatidosi puris copiam continens, jacebat, qui parti inferiori lobuli sinistri pulmonis adhaerebat, quo fieri potuit, ut pus per tussin ejacularetur.

Prognosis nephritidis.

In nephritide acuta prognosis in genere ad inflammationis vehementiam et characterem se accommodat; in nephritide chronica ad causas, quae continuam in renes exercent irritationem et ad complicationem cum aliis morbis.

Praeterea aegroti constitutionem, aetatem multum valere ad sistendam bonam vel malam prognosin, quivis intelliget. Hac ratione jam Hippocrates ait: „renum et vesicae dolores difficulter sanantur in senibus;" et in alio loco: „renum passiones non vidi sanatas post quinquagesimum annum. —

In specie haec dici possunt:

Funestum est, urina raro secreta aut plane cohibita, pallida et aquosa [1]). Dolores valde urgentes, vomituritiones vomitusque, magna anxietas, extremitatum et externorum corporis obtegumentorum frigus, delirium, convulsiones, syncope, paralysis extremitatum inferiorum malum exitum annuntiant.

Vix faustam prognosin statuas, si inflammationis causae non sunt semovendae, uti e. g. calculi renales; nec minus bonam appelles, inflammatione minimo temporis spatio summum gradum adepta, tunc enim renum gangraena maxime cavenda est. Malum est etiam, inflammatione super quam dies septem, adeoque quatuordecim vigente, quin resolutionis signa critica appareant, quia morbi secundarii in hoc casu timendi sunt. Inflammatio chronica plerumque prognosin infaustiorem quam acuta pronunciat. Eo felicior vero exspectandus erit nephritidis decursus, quo regularior hic, quo perfectiora resolutionis signa sunt praesto. Haemorrhoidum fluxus aut sudor aequalis, copiosus et calidus opportuno tempore prorumpens bonum exitum annunciant. Hippocrates ait: nephritidi haemorrhoides supervenientes bonum [2]).

Prognosis renum suppurationis.

Suppuratione jamjam exorta, prognosis fere semper dubia, ne dicam mala habenda. Si enim pus re-

1) Troja a. a. O.

2) Aphorism. II. Sect. VI.

num in pelvim renalem et ureteres non effunditur, neque cum urina simul ejicitur; tum infestum prorumpit, vel in organa adjacentia, vel etiam consumit acredine sua totius renis substantiam. Attamen vero mirandum est, vitam renibus pure fere plane devastatis, per tot annos satis integram durare posse, imo ne secretionem urinae quidem turbatam esse, de qua re Ficker senior, casum Padibornae insignem observavit atque descripsit [1]). Si renis abscessus coalitione intra peritonaei saccum effunditur, prognosis pessima, nec minus infausta, si pus sibi viam parat per diaphragma ad pulmones, in quo casu aegrotus symptomatibus phthiseos pulmonalis ad finem adducitur. Valde periclitatur aegrotus, si abscessus secundarius in regione inguinali aut et in perinaeo apparet [2]).

Funestum dices exitum, si pus intestinum colon perforat, et per anum simul cum faecibus atque urina depletur; funestiorem, adeo funestissimum, si eodem tempore viam eligit extrorsum et cum iisdem hic effunditur materiis [3]).

Rene utroque suppurato, prognosis redditur mala. Faustiorem vero putes exitum, si abscessus disrumpitur et pus in laxa et cellulosa musculorum lumbalium interstitia effundit, ita ut extrorsum in regione lumbali conspiciatur, qua tumor exortus vel natura vel arte

---

1) In Harless Rheinisch. Jahrbüch. Bd. IV. St. 2.

2) Koenig. loc. citat.

3) Petr. Frank loc. citat.

aperiri et pus evacuari potest. Felicissima prognosis, si pus pelvim renalem ureteresque tendit, et una cum urina exernitur. Praeterea constitutio, aetas, vita, suppuratio per longum vel breve tempus perdurans ad sistendam vel malam vel bonam prognosin plurimum valent. Quo melius et purius pus, eo melior prognosis. Quam ob rem Hippocrates [1]) ait: „qui suppurati uruntur aut secantur, si quidem purum effluit pus et album, evadunt, si vero subcruentum et caenosum ac graveolens pereunt.“ —

1) Aphor. 44. Sect. VII.

CURRICULUM VITAE.

Ego Franciscus Heiming, fidei catholicae addictus, natus sum Horn, Guestphaliae pago die VII. mensis Aprilis anni MDCCCVII, patre Joanne Casparo Heiming, matre Gertrude e gente Tochtrop, quos jamjam praematura mihi morte abreptos lugeo. Primis literarum rudimentis usque ad annum decimum tertium domi imbutus sum. Hofestadium deinde missus, praeceptor privatus tironem me linguam praecipue latinam edocuit.

Anno nondum praeterlapso Gymnasium Rietbergae per tres annos frequentavi, et tunc in Gymnasium Theodorianum, quod Padibornae floret, me contuli. Tribus iterum annis praeterlapsis, examine abiturientium absoluto, et testimonium maturitatis adeptus, unum per annum

praelectionibus facultatis philosophicae ibidem interfui: de anthropologia, logice, metaphysica, philosophia morali, philosophiae historia et jure naturae, nec non physica experimentali et mathesi.

Anno MDCCCXXVII. mense Octobri almam Herbipolensem universitatem adii et a Cl. Geier t. t Rectore Magnifico civium academicorum numero sum adscriptus.

Per tres abinde annos praelectiones hasce audivi; Physicam experimentalem apud Cl. Rau; philologiam orientalem apud Cl. Fischer; anatomiam corporis humani apud Cl. Heusinger et postea apud Cl. Münz, qui etiam anatomiam pathologicam, bis neurologiam et sensuum organa me edocuit, nec non in arte cadavera dissecandi dux mihi fuit optimus; — de mineralogia, chemia, pharmacia, materia medica, toxicologia et arte formulas medicas rite concinandi Cl. Rumpf; de botanice generali, historia plantarum cryptogamorum, osteologia comparata, zoologia et zootomia Cl. Leiblein; botanice officinali

Cl. Heller disserentibus adfui; nec minus praelectiones Cl. Friedreich de pathologia generali frequentavi, nec non de semiotice.

Praelectionibus Cl. Pickel de chemia experimentali; Cl. Ruland de diaetetica et morbis psychicis; Cl. Hoffmann de physiologia; Cl. Hergenroether de medecina forensi; Cl. d'Outrepont de arte obstetricia theoretica; de pathologia et therapia speciali Cl. Schoenlein; de pathologia et therapia morborum chirurgicorum Cl. Textor interfui, qui mihi etiam operationes, fascias et deligationes chirurgicas, instrumenta idonea, ad perficiendas operationes interpretatus est.

In exercitationibus practicis in phantomate et clinicis obstetriciis Cl. d'Outrepont; in clinicis medicis Cl. Schoenlein; atque in chirurgicis Cl. Textor moderatores mihi fuere.

Herbipoli relicta anno MDCCCXXX. mense Octobri hanc summam musarum sedem, Friedericam Guilelmam, petii, ubi a Rectore t. t. Magnifico Cl. Boeckh in civium academicorum numerum receptus et a Decano Cl. Fr. Hufeland

medicorum ordinis spect. Albo inscriptus sum.

Hic per duo semestria in exercitationibus clinicis chirurgicis Cl. Rust, medicis Cl. Bartels et clinicis morborum infantum Cl. Baretz mihi duces exstitere; nec non in pharmaceutica chemia Cl. Hermbstaedt praeceptor mihi erat.

Jam tentamine tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Sanguis via directa ex arteriis in venas transfunditur.

II.

Dissecatio nervi in prosopalgia Fothergiliana rejicienda.

III.

Nulla suppuratio, nisi ex inflammatione.

IV.

Sanguis cordis tantum motu propellitur.

V.

Synchondrotomia ex arte obstetricia ejicienda.

VI.

Omnis sanatio organismo ipso perficitur.